



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Coniuges etiam, qui videntur in alterius adulterium consentire, inuitos
consentire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Ioan. 4.

Sanch. l. 7. d.
80. n. 15. Hurt.
d. 9. n. 9.Ita Concil.
Trid. Sessio.
24.

VII.

Cranz lib. 5.
Daniz.

mentum vel signum esse non potest, in quo mulier duos plures ué viros, aut etiam quinque simul (vt Samaritana illa, alterum post alterum) habet. Non significat enim vnionem Ecclesiæ cum Christo, aut Christi cum Ecclesiæ. Quippe sicut Ecclesiæ non potest simul vniri cum Christo, & Antichristo; cum Deo & diabolo; ita neque vnio eius significari potest ab ea, quæ viro suo iungitur, & non suo. Neque verò, in vlla lege, polygamia vxori licita fuit. Quin & viri polygamiam & repudium lege veteri permissum, in noua lege, sustulit Christus, dum matrimonium ad primam matrimonij, in Genesi, institutionem reuocauit, ita vt, in noua lege, quasi idem sit matrimonium cum eo, quod fuit inter Adamum & Euam. Quare sicut neque Christus simul Synagogæ, gentilismo, & Ecclesiæ iunctus est, ita neque is coniunx simul iungi debet vxoribus duabus, tribus, pluribusuè, qui Christi & Ecclesiæ dilectionem matrimonio suo repræsenterat. Cuius amor diuisus est, minùs *adheret vxori suæ*, neque refert amorem vnionemque Christi & Ecclesiæ, exiungitque gratiam & mutuum amorem, quem Sacramentum hoc coniugibus confert; & aded Sacramentum istud in se mendax & fallax efficit, vt scilicet illum Christi & Ecclesiæ amorem concordiamque falsò repræsenteret.

Manifestum itaque est, matrimonij fide salua, neutrum coniugum in alterius adulterium posse consentire. Sed videmus, quinam, aut quamobrem soleant consentire? & an non dolcant etiam consentiendo? 1. Batilda consensit, *vt Erici suorem conciliaret*; maluit enim vel qualemcunque maritum habere, quàm nullum. At quis neget, Batildam pellices reddidisse comtiores, non tam vt illæ, quàm vt ipsa regi magis placeret? Faciunt multæ coniuges, in gratiam mariti, quod suis in gratijs faciunt. 2. Quasdam timor adigit, maritis fræna laxare: nisi eos ita sinerent viuere, ipsæ viuere non sinerentur. Simulant ergo se consentire, quia malunt coniuge carere, quàm vita. At nunquid hæc aperta est violentia? Tantò magis æstuat furor, quantò magis est premendus, sicut inclusus ignis. O quàm multæ misera vxores debent in viris suis perfidiam ferre, quibus alterutrum necesse est, vel dissimulare, vel vapulare!